

est: id quod hac etiam vice contigit, ut, cùm paratum dicto modo vacuum auditores nostri per manûs sibi traderent, ac singuli, quàm firmiter hæreat vasculum prensando tentarant, tandem sub manibus cujusdam, admisso jam insensibiliter aëre, illud facillimè dimoveretur. Cæterùm hac vice modum saltem ea vacua procurandi & corpora quædam iis includendi ostendimus; imposterum, si volet Deus, experimenta specialia circa rerum corruptibilium mutationes, intra aërem & vacuum variantes, capturi.

XVIII. Superest, ut elegantem antliæ formam, quâ Amicus quidam noster, mercatorio quidem vitæ generi ab ineunte ætate implicitus, ad mechanica tamen artificia profusus aptus natusque, pronuper eam induit, ut urceum florigerum mentiatur ac recipiens A B supernè instar floris emittens exhibeat, hoc loco Lectori nostro paucissimis commendemus & ob oculos ponamus. B C tubus est orichalceus, antliæ pars præcipua, supernè, qua parte recipientis epistomium ipsi circa B inseritur, valvulam deorsum, & aliam minutiolem à latere circa K extrorsum spectantem, habens, eo ritu, quo in nostra quoque antlia nunc se habent juxta ea, quæ suprâ num. II. prolixè differuimus: C D pars est pistilli, lignei, parte supremâ intra tubum B C latente corio optimæ notæ ac solidiore ita muniti, ut non nisi magno nisu extrahi retrudique possit, aëremque adeò externum sollicitè excludat: I G H ferreum est brachium, seu vectis ferreus, cui admota robustioris hominis manus pistillum C D interventu articulorum ferreorum D E F, & F G, ultrò citroque movet, ad imitationem alterius formæ Guerickianæ parato, quæ descripta pictaque exhibetur Experim. Magdeburg. Lib. III. cap. IV. tametsi noviter, cùm aliam huic cæterâ similem pararet antliam, ad imitationem Boylianæ, incommodiori quodammodo & minus constanti huic machinationi, glossocomi (aurigis eine Binde dicti) formam, suavisimo nostro substituerit.

XIX. Su-